DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PATRIÆ DESIDERIO.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PATRIÆ DESIDERIO;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS BULKELEY PARRY,
CAMBROBRITANNUS.

"*Ante oculos errant domus, urbs, et forma locorum;*
"*Succeduntque suis singula facta locis.*"
OVID.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1805.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRTUTE EXIMIA ET SINGULARI

VIRIS,

MARTINO BROWNE FOLKES

HILLINGTONIÆ

BARONETTO;

ET

JACOBO COLDHAM

ANMERIÆ

ARMIGERO;

IN

PRÆFECTURA NORDOVOLCENSI

UTRISQUE;

HANC DISPUTATIONEM,

OBSERVANTIA ET ANIMO GRATO

MOTUS,

D. D. DQUE

GULIELMUS BULKELEY PARRY.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PATRIÆ DESIDERIO.

§ I. HOMINES sic constituit SUMMUS rerum OPIFEX, ut cæteris animalibus non magis ingenii viribus præstarent, quæ in veri indagatione versentur, et in quoque rerum oblatarum genere judicent, quid expetendum sit, quid declinandum ; quàm anteirent deli-

catâ fabricæ naturâ, quâ in morbos cùm corporis tum animi pateant.

II. Ex naturæ infirmitate quot morbis opportuna sunt mortalium corpora! Teneros infantes morbi nondùm benè intellecti, et ad quos sanandos parùm valet medicina, ex improviso adoriuntur, et, parentum precibus vanis, cruciant et occidunt. Teneris porrò ætate insidiantur pestilentes morbi; qui, etiamsi vitæ parcant, corpora tamen infirmant, neque rarò aut memoribus notis deformant, aut eorum incrementum remorantur. Vel adultâ et virili ætate, quàm sæpè aut acuti morbi nobiliores partes impetunt, et vitam brevi exstinguunt; aut obrepunt morbi longi, at vix sanabiles, qui vires paulatìm depascuntur, et lentâ ægros tabe consumunt. Vergentes ætate et senescentes multa sanè mala exercent et infelicitant. Dolent enim sæpè ab oculis, dolent à dentibus, dolent à lumbis, dolent à vesica, artubus et articulis.

III. Neque enimvero corporis tantùm morbis homines obnoxii sunt, sed etiam innumeris animi ægritudinibus. Præmoriuntur parentes, conjuges aut liberi: atque ex eorum desiderio animos superstitum contristant mœror et mœstitia. Spem agricolarum mentitur seges: et invadit prædiorum dominos metus, ne iis fructus deficiant; vulgus incessit timor, ne penuriâ terræ frugum ingravescat annona, et inopes fame pereant. Amatores amicas somniant; amatores amicæ. In somniis avaros tremefaciunt nocturni fures; viatores territant latrones. Formidant cladem et dedecus milites; procellas, cæca vada, et naufragia mercatores. Peregrinantes domum desiderant; neque rarò, præsertìm ubì res improsperè eveniunt, perpetuâ domuitionis cupiditate macerantur.

IV. De hoc inconsolabili patriæ desiderio, paucis dicere mihi in animo est. Ne autem ordo deficiat, utile erit, primùm, nominato et definito morbo, narrare, quæ mala afferat;

dein exponere, quâ ex causâ gentes quædam, præ cæteris, eo afficiantur; tùm præsagire, qualis futurus sit eventus; postremò expedire, quâ ratione sanetur.

PARS

PARS PRIMA.

De Nomine et Definitione.

v. PATRIÆ desiderio, de quo scribimus, alia alii medici nomina dixerunt. Nonnulli, velut HARDERUS *, SAUVAGESIUS † et CULLENUS ‡, aliique hodiernorum haud pauci, *NOSTALGIAM* nuncupârunt. *PHILOPATRIDOMANIAM* etiam HARDERUS || appellavit; *NOSTO-*

* Vid. JOAN. JAC. HARDER. Dissert. *de Nostalgia*, Thes. II. BASIL. 22. Jun. Ann. 1678.

† Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class viii. Ord. ii. Gen. xi.

‡ Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* Gen. cvi.

|| Vid. HARDER. Dissert. *de Nostalgia*, Thes. II.

MANIAM ZUINGERUS. Nonnulli *NOSTRASSIAM* nominârunt. HELVETII *HEIMWEHE* dicunt; GALLI *MALADIE DU' PAIS.*

VI. *Nostalgia* à CULLENO definitur, "*In absentibus à patria, vehemens eandem revisendi desiderium* *." His verbis definitam, disponit in *SIMPLICEM* et *COMPLICATAM*; quarum illa sine alio morbo est, hanc alii morbi comitantur. His addit *SIMULATAM* SAUVAGESIUS; eam nempè, quâ milites, quos militiæ tæduit, ducibus imponere student, ut, missione impetratâ, permittatur iis, ut domum redeant †.

PARS

* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* gen. cvi.

† Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.*

PARS SECUNDA.

De malis, quæ patriæ desiderio oriantur.

VII. Huic morbo opportuni, præ cæteris ejusdem gentis, ii sunt, quos tenerâ ætate parentes ineptâ lenitate nimìs indulgentèr aluerunt et educârunt. Sic pravâ parentum facilitate in nimiis deliciis habiti, ubì ex sinu quasi indulgentium solum vertunt, et apud exteros peregrinantur, apti sunt, qui levissimis causis tristes fiant, et animis demittantur. In morbos incidunt; neque adsunt matres aut sorores, quæ assideant, et blandis vocibus et assiduis curis spe animos erigant, simulque necessaria ministrent. Aut res improsperè adveniunt; neque inter alienos sunt,

qui, amore moti, opibus eos adjuvent. Valetudine aut rebus sic adversis, patriam reminiscuntur et parentes; iisque in mentem veniunt infantiles puerilesque anni, quibus domi, cum fratribus et sororibus, parva parvis animis oblectamenta placebant.

VIII. Dum peregrinantes sic dies noctesque picturâ pascuntur inani; et præsentium, quippe exterarum, voluptatum pertæsi, præteritas animis renovant: taciturni fiunt; familiares, quorum sermone utebantur, fugiunt; et, occidente sole, clam pedibus conferunt se in avia et abdita locorum, ubì, visi nullis, patriâ, paterno tecto, diurnis olim forìs delectamentis, vespertinis foco sermunculis, et fictis puerilitèr fabellis, animos occupent. De hujusmodi miseris, quod de seipso olim ille PLAUTI ALCESIMARCHUS *, dici potest, ubì sint, ibi non esse; ubì non sint, ibi esse animum.

* Vid. PLAUT. *Cistell.* Act. II. Scæn. I.

IX. Peregrinans autem, patriæ desiderio ictus, non solùm pauciloquus fit, et solitarius, sed etiam lugubris et meditabundus. Tanquàm timens, ne ruat cœlum, oculis humum petit; et etiam tùm, cùm, cavillantibus jocantibusve familiaribus, exporrigit frontem, et risu vultum serenat, altum corde premit dolorem. Velut alter JAQUESIUS *, propriâ sibi melancholiâ contristatur; et, sicut CASSIUS olim,

"*Seldom he smiles; and smiles in such a sort,*
"*As if he mock'd himself, and scorn'd his spirit*
"*That could be mov'd to smile at any thing.*"

SHAKESPEARE.

X. Intereà, dum animus se domum recipit sine corpore, patriæ desiderio demissi, suis, qualiacunque sint, muneribus impares evadunt. Diutiùs neque cum fortibus fortitu-

* Vid. SHAKESPEAR. *As you like it*, Act. IV. Scen. I.

dine contendunt, neque cum strenuis labore; neque student divitiis divites anteire, aut facundos facundiâ, aut condiscipulos literis et scientiâ: sed, animos remissi, id tantùm agunt, ut, præsentibus neglectis, absentem patriam gratâ memoriâ prosequantur et desiderent.

" *Non dubia est* Ithaci *prudentia: sed tamen optat*
" *Fumum de patriis posse videre focis.*
" *Nescio quâ natale solum dulcedine captos*
" *Ducit, et immemores non sinit esse sui.*"

Ovid.

xi. Seriùs ociùs, nisi hujusmodi miseris permittatur, ut domum redeant, corpora animorum mala participant, eorumque vires languescunt. Noctu in mentes veniunt caræ absentium imagines, et somnos pellunt: atque vigiles curæ, dum animos perpetuò solicitant, irrequieta attenuant corpora.

' *Otia corpus alunt; animus quoque pascitur illis.*
" *Immodicus contrà carpit utrumque labor.*"

Ovid.

XII. Interdiu stomachus neque cibos appetit, neque potest assumptos concoquere. Infelices intereà marcescentes amicè interrogantibus, quid sit rei quamobrèm se tam malè habeant, aut nihil referunt; aut aliud promptum in lingua habent, aliud clausum in pectore. Ut amantes amorem tacent, sic nostri infelices patriæ desiderium. Utrique enim suspiriis, quàm verbis, significantiùs loquuntur.

XIII. Miseris demùm, quos infelicitat patriæ desiderium, obrepunt morbi. Macescunt; vespere febricitant; sicut pulmonibus tabentes, paulatìm minuuntur; nonnunquàm, ut plùs semel in valetudinario AGATHOPOLIS observatum est, unâ alterâve corporis maculâ livescunt*; et, ad postremum, nisi domum redeundi iis detur occasio, moriuntur.

---

* Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. 8. Ord. 2. Gen. 11., 2.

XIV. Febris autem, quam comitem habet patriæ desiderium, non in omnibus ejusdem-modi est. Nonnunquàm naturâ continens est; interdùm tertiana; aliquandò *tritæophya;* modò aliqua alia *.

PARS

---

* Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class 8. Ord. 2. Gen. 11., 2.

PARS TERTIA.

Quæ gentes, præ cæteris, patriæ desiderio afficiantur, et quibus ex causis.

XV. DICTIS malis, quæ patriæ desiderium afferat, nunc res postulat, ut exponere aggrediamur, cujates, præ cæteris, huic morbo opportuni sint; et, quibus ex causis. Etiamsi hanc rei nostræ partem satìs fusè, pro magnitudine, tractare non possimus, juvabit tamen pauca dixisse; eòque magis, quòd, quantùm scimus, in scriptis de ea auctores, magnâ ex parte, siluerunt.

XVI. Non in omnibus æquè regionibus, neque in omnibus æquè ejusdem partibus, ho-

mines patriæ amore insigniuntur. Ubì igitur orbis terrarum mortales patrium solum maximo amore persequuntur? In editis et montosis regionibus: quæ naturæ rerum varietate, sublimitate, et magnitudine insignes sunt; atque tenentur aboriginibus, quibus sunt incorrupta morum unitas et simplicitas, prisca fides, indomita fortitudo, et indocta pati servitutem pectora.

XVII. HELVETII, omni ævo, patriæ amore insignes fuerunt: non quia hæc segetum fertilis est, et arboribus fœcunda; sed quia paucis cedit montium et rupium excelsitate, nullis lacuum numero et perluciditate, piscium abundantiâ et sapore, concavis speluncarum altitudinibus, rusticâ indigenarum felicitate, imò torrentium fragore, et nimborum fremitu.

XVIII. His porrò ALPINIS monticolis sunt fortia majorum facta, quibus nihil patrio solo mortales arctiùs annectit. Quis HELVETIORUM est, quin TELLII fortitudinem, et præ-

clara facinora, quibus se suosque, patriosque penates, in libertatem vindicavit, in memoria teneat, et admiretur?

XIX. Quinetiam patria carmina, quibus nihil potentiùs ducit mortalium animos, HELVETIOS, paritèr atque alios montosos, mirum in modum delectant; et peregrinantes, qui ea vocibus aut tibiis canunt, tantâ ferè perfundunt voluptate, ut patriam memoriâ respiciant, miroque amore desiderent. Hoc cognito, exteri tyranni, ut GALLICUS olim, qui HELVETIOS conducunt, ut fidos circa se habeant custodes, interdicunt gravissimâ pœnâ, ne, patria carmina voce aut tibiâ canendo, quis patriam iis in memoriam reducat, eamque revisendi excitet desiderium.

XX. Quàm elegantèr mirum amorem, quo patriam prosequuntur HELVETII, descripsit divinus poëta!

" *Thus every good his native wilds impart,*
" *Imprints the patriot passion on his heart;*

" *And ev'n those ills, that round his mansion rise,*
" *Enhance the bliss his scanty fund ſupplies.*
" *Dear is that ſhed, to which his soul conforms,*
" *And dear that hill, which lifts him to the ſtorms;*
" *And, as a child, when scaring sounds molest,*
" *Clings close and closer to the mother's breast,*
" *So the loud torrent, and the whirlwind's roar,*
" *But bind him to his native mountains more."*

GOLDSMITH.

XXI. MONTICOLÆ etiam CALEDONII patriæ miro amore tenentur; et, ubicunquè sunt, patriæ sedis, morum, cultûs, cantiuncularum, et rerum à majoribus pace et bello gestarum, vivunt memores. Ubì igitur amore bellicæ laudis, rebusve domi angustis, in longinquas terras profecti sunt, non facilè cum exteris coalescunt; sed patrios mores, cultum, palæstras, penates, et carmina memoriâ fidâ retinent et servant.

XXII. Hujusmodi homines putant, nullis hominum aliis patriam dignam esse, quam tam gratâ memoriâ prosequantur. Nulli peregrè

montes, æquè ac Caledonii, ericâ melliferâ luxuriant; nullorum apes tam mellificæ sunt, tamquè jucundè susurrant. Nusquàm terrarum tibiæ tam dulcè, quàm utriculares, sonant; et virgines tibiarum vocibus terram celerioribus pulsant pedibus. Neque enimvero alibì mortales sunt, qui limpidioribus fontibus gaudent, salubrioribusve auris et aquis; aut qui majore valetudinis prosperitate, vitâve longiore utuntur.

xxiii. Quàm aptè Caledoniam patriæ caritatem canit desiderandus poëta!

" Their groves o' sweet myrtle let foreign lands reckon,
" Where bright-beaming summers exalt the perfume,
" Far dearer to me yon lone glen o' green breckan,
" Wi' the burn stealing under the lang yellow broom:
" Far dearer to me are yon humble broom bowers,
" Where the blue-bell and gowan lurk lowly unseen:
" For there, lightly tripping amang the wild flowers,
" A listening the linnet, aft wanders my Jean.

"Tho' rich is the breeze in their gay sunny vallies,
"And cauld, CALEDONIA's blast on the wave;
"Their sweet-scented woodlands that skirt the proud palace,
"What are they? The haunt o' the tyrant and slave!
"The slave's spicy forests, and gold-bubbling fountains,
"The brave CALEDONIAN views wi' disdain;
"He wanders as free, as the winds of his mountains,
"Save Love's willing fetters, the chains o' his JEAN."

BURNS.

XXIV. CAMBRIENSES quoque, purum hominum genus, nequedum peregrinis moribus corruptum, ubicunquè terrarum orbis vitam agunt, fidâ memoriâ patriam retinent, et sæpè ineluctabili domuitionis desiderio afficiuntur. Iis, similiter ac CALEDONIIS et HELVETIIS, sunt miræ montium altitudines, et gratæ viriditates; gelidi fontes; montani torrentes; lymphæ perlucidæ, et loquaces; præclara majorum facinora; suæ tibiæ, sua carmina, sui mores. Haud igitur mirum est, patriæ tanto amore teneri, et, ubì peregrinentur, tot eam suspiriis desiderare, neque nisi morte oblivisci.

XXV. CAMBRIENSIS tanto amore patriam diligit, ut, duobus tantùm verbis mutatis, cum poëta dicat:

" CAMBRIA, with all thy faults, I love thee still
" My country! and, while yet a nook is left
" Where CAMBRIAN minds and manners may be found,
" Shall be constrain'd to love thee. Though thy clime
" Be fickle, and thy year, most part, deform'd
" With dripping rains, or wither'd by a frost,
" I would not yet exchange thy sullen skies,
" And fields without a flower, for warmer FRANCE
" With all her vines; nor for AUSONIA's groves
" Of golden fruitage, and her myrtle bowers."

COWPER.

XXVI. Quàm tenace et fidâ memoriâ CAMBRIENSES patrium solum prosequantur, ostendit miles, quem memoravit HAMILTONIUS. EDUARDUS quidam, natu CAMBRIENSIS, juvenis formosus, membrorum compagine ad militiam aptus, paucos ante menses inter suæ legionis milites conscriptus, cœpit vultu tristis fieri, et genis pallere.

XXVII. In valetudinarium admissus, conquerebatur de universi corporis debilitate, sed nullius partis dolore, de tinnitu aurium, et vertigine. Arteriarum intereà motus tardiusculi erant, parvi, et compressu faciles. Stomachus parùm appetebat cibos. Lingua verò humida erat; sitis ferè nulla; alvus naturalis. At rarus tamen advenit somnus; et, ubì advenerat, terrificis somniis fugabatur.

XXVIII, Medicus animi incertus, quid faceret, et dubius annon incipiens esset *typhus*, alia atque alia, quæ hâc febre implicitis dari solent, expertus est. Deindè, post aliquot hebdomadas, mutatâ curatione, roborantia et vinum præscripsit. Omnia autem pariter medicamenta spem fefellerunt. Nam miles, quamvis interìm tussi nunquàm afflictus esset, extabuerat tamen, et indubiâ *hecticâ* affici inceperat. Tres post menses, quàm in valetudinarium acceptus erat, oculis cavis, genis prominentibus, unguibus uncis, sudoribus nocturnis, membris adeò imbecillis, ut non, nisi alienis viribus, posset ex lecto exsur-

gere, in eumve se recipere, syntecticum referebat.

XXIX. Medicus tùm primùm à muliere assidente certior factus, militem, illo absente, multùm de patria loqui solitum, induxit in animum, domuitionis desiderium primam maciei labem fuisse; et pollicitus est, ei, simul ut reviruissent vires, et ad iter capessendum sufficerent, commeatum impetraturum ut patriam denuò et suos reviseret.

XXX. Animo militis spe domum redeundi excitato, ante unam hebdomadam elapsam, omnia in melius sese vertere inceperunt. Redivit appetentia ciborum. Vires in dies revaluerunt. Commilitonum duo quotidie, circa meridiem, in apertum extulerunt, ut ex sede, quam in contiguo littore ei exstruxerant, mare prospiceret, et salubribus illìnc auris vesceretur.

XXXI. Spe commeatum accipiendi sic nutritâ, tempore haud longo usquè eò jam con-

valuerat, ut posset propriis ambulare pedibus; et, duas intra hebdomadas, ex quo tempore medicus suam gratiam pollicitus erat, vires adeò recollegerat, ut, valetudinario relicto, se in casas militares receperit. Medicus autem promissi memor, et ad fidem liberandam intentus, per suam gratiam apud legionis primores id egit, ut, his intercessoribus, à præfecto promissum militi commeatum impetraverit *.

XXXII. Eorum ISRAELITARUM, qui ab ÆGYPTIIS in servitutem redacti erant, minores, ubì, post centum et nonaginta octo ferè annos, MOSE in terram majorum et libertatem reducente, fame in solitudine urgebantur, inter se murmurabant contra ducem, qui prudentiâ plus humanâ eos à servitute in libertatem vindicaverat. Quoties esuriebant, carnes, pisces, porra, cepæ, allium, et alia

---

* Vid. DUNCAN. *Med. Comment.* Decad. ii. vol. i. Art. x.

opsonia, quibus ÆGYPTUS abundabat, iis in mentem veniebant; et, flentes, servituti et abundantiæ libertatem et inediam posthabebant.

XXXIII. "*Convenarum quoque turba, quæ in* "*medio ejus* erat, *graviter concupiverunt:* "*quarè rursùs fleverunt etiam filii* IISRAELIS, "*dicentes:* O si *quis daret nobis comedendam* "*carnem! Recordamur piscium, quos edeba-* "*mus in* ÆGYPTO *gratìs, cucumerum, et pe-* "*ponum, et porrorum, et ceparum, et alli-* "*orum* *."

XXXIV. Memoria, quâ ÆGYPTUM prosequebantur IISRAELITARUM filii, quippe cùm rabie edendi revocaretur magis, quàm desiderio mentem denuò explendi rebus, quas reliquerant, non comparanda est cum ea, quâ patriam colunt HELVETII, CALEDONII, et CAMBRIENSES.

---

* Vid. TREMELL. et JUN. *Bib. Sac.* Numeror. Cap. xi. vers. 4. et 5.

XXXV. His cognitis, nobis videtur, eos mortalium, præ cæteris, cùm peregrinantur, domuitionis desiderio contristari, quorum patria montibus, vallibus, lacubus, fluminibus, rivulis, cæterisque naturæ amœnitatibus abundet; et aboriginibus teneatur, qui, malis moribus parùm imbuti, simplicitatem, caritatem, pietatem, cæterasque nativas virtutes colunt: atque desiderium, quo, dum peregrinantur, patriam revisere ardeant, cieri gratâ harum naturæ amœnitatum, civiumque virtutum memoriâ; quam rerum valetudinisve improsperitas, aut morum dissimilitudo, aut cœli gravitas, aut dura belli et maris, renovaverint.

PARS

PARS QUARTA.

Qualis futurus sit eventus.

XXXVI. Quum patriæ desiderium nullis sit sanabile herbis aut medicamentis, medici hujusmodi auxiliis ad curandum parùm possunt. Nihil est, quo levetur et curetur, nisi domuitio, aut firma domum revisendi spes. Si res permittunt, ut infelix in patriam redeat, aut redeundi spem inchoët, nunquàm de sanitate desperandum est. Spes enim natale solum et amicos revisendi, et iis mentem explendi Naturæ amœnitatibus, quæ olim tantâ eum voluptate afficiebant, opem adeò mirificam affert, ut brevi serenetur animus, revalescant vires, et pristina valetudo redeat.

XXXVII. Quòd si res, vel officii ratio, non permittit, ut miser domum regrediatur, aut revertendi saltem spem capiat, non est in medicina, ut eum sanet. Omnibus medicamentis et herbis pariter inefficacibus, patriæ memoria et desiderium perpetuò animum occupant et solicitant. Corpus vigiliâ, anxietate, et ciborum fastidio attenuatur; demùmque miser, animo à spe prorsùs derelicto, febre extabescit, et, nisi ipse mortem sibi consciscat, lentâ morte consumitur.

XXXVIII. Patriæ sanè desiderium, quod expleri non potest, non solùm ipsum insanabilis morbus est; sed, ut nautis benè notum est et militibus, alios etiam morbos graviores, sæpè lethales, reddit. Nautæ enim et milites stomacace febribusve affecti, modò patriam revisendi spem amittant, cæteris paribus, multò in majore periculo versantur, quàm iisdem morbis laborantes, qui gratam spem retinent et alunt. Peregrinantium enimvero morbis affectorum vitam efficaciùs, quàm medicina, domum revertendi spes fovet; semper-

que ait, cràs meliùs futurum. Rarissimè autem revalescunt, quos spes patriam antiquam videndi omninò deseruit. Peregrinus, haud secùs atque amore captus, verissimè dicat :

" *Soft hope is the relic I bear,*
" *And my solace wherever I go.*"

SHENSTON.

PARS

PARS QUINTA.

Quâ ratione sanetur patriæ desiderium.

XXXIX. De hâc rei nostræ parte, multa dicere non possumus; quippe cùm medicina parùm ad ægrum animum sanandum valeat. Peregrino patrium solum desideranti, utì nullæ Naturæ rerum placent, ità nulla proficiunt medicamenta. Extorri Ovidio omnia in Ponto fastidium movebant.

" Non hîc pampineis amicitur vitibus ulmus :
" Nulla premunt ramos pondere poma suo.
" Tristia deformes pariunt absinthia campi,
" Terraque de fructu, quàm sit amara, docet."

Ovid.

XL. Utì nullis delectantur absentem patriam desiderantes, sic omnia caram patriæ et suorum imaginem in memoriam reducunt. Hâc memoriâ dies noctesque animi eorum solicitantur, demùmque tabescunt corpora.

"——— *Vexant insomnia; vixque*
"*Ossa tegit macies, nec juvat ora cibus.*"

OVID.

XLI. Ne multis, ut animi et corporis invaletudinis, quam persequimur, sola causa est absentis patriæ desiderium, ità domuitio solum remedium.

